



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

3. Quomodo illa lucta siue dubitatio naturaliter inhaeret mentibus  
hominum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Igitur certò credere oportet se esse in gratia & exaudiri à Deo, dum credit & pœnitet: è diuerso certò credit peccator, quòd ira Dei maneat super eum, quandiu incessanter peccat, nec scripturam curat, Euangelium ergo nobis hanc præstat certitudinem atque Dei promissiones. Si quis igitur negat Deum velle exaudire, velle saluare, velle ignoscere, is negat Deum veracem vel constantem esse.

Tertiò, tametsi reipsa experimur omnes, quòd nesciamus neq; pro certo statuere possimus nos in gratia esse, eò quòd naturaliter nobis inhæret hæc dubitatio, non tamen hîc quiescere debemus, sed perpetuò certare contra hanc hæsitacionem fide Euangelij & promissionum Dei: hæc promissio Euangelij causa & obiectum est certitudinis, quia Deus promisit hæc propter Christum: fides ergo erigenda est verbo Euangelico & exercenda contra talem dubitationem, & sic illi datur occasio: oportet vt fides penetret naturalem rationē, & firmissimè tenere in omnî euentu, Deus est verax, ipse dixit, ipse promisit: idè si certò credam & pœniteam, sic eueniet: & hoc cum fecerimus, experiemur diuinam consolationem & adiutorium. Rom. 8. Ipse Spiritus assistit Spiritui nostro, clamans, Abba pater, & hanc fidem docet & exigit Euangelium, & idè quotidie prædicatur Euangelium, vt hæc fides acquiratur. Qui igitur dubitat, is totum Euangelium reijcit, Christum & Deum mendaces facit. Sed inquis: Cur sapiens Eccles. 9. dicit, Viuit homo & nescit vtrum amore an odio dignus sit, Omnia in futurum seruantur incerta? Vnde homo certus esse nequit. Respon. Sapiens hîc non de fide Euangelij loquitur, sed de cursu & rebus mundi. Hîc in terra boni cum malis ex æquo sentiunt incommoda in corpore, in rebus, fortuna &c. infirmatur, depauperatur, tribulatur malus & iustus & pius, qui tolerat mala & bona huius vitæ præ-



sentis. Deus hoc sic permittit, & sic nescit homo, dum viuit, quantum ad euentum rerum in mundo, an amore vel odio dignus sit: sed aliud est de fide coram Deo propter Christum: hic Christus pignus est certum promissionum, Deus mentiri non potest: igitur ipsa promissio Dei facit me certum de gratia Dei, deinde etsi tribulationes & mala huius mundi fidelis æquè ac infidelis patitur, hoc tamen non efficit peiorem fidelem, sed Deus exercet & crucem imponit, vt peccatum in carne eradicetur: reseruat autem ipsi gloriam æternam atque coronam, quam expectare non potest infidelis ac impius. Non ergo de gratia Dei dubitemus, sed certemus contra hanc hefitationem. Nec oportet respicere ad nostram dignitatem, dispositionem vel indignitatem aut inutilitatem. Fides oportet simpliciter hæreat & dependeat à verbo promissionis diuinæ, quia Deus sic præcepit, sic promissit. Dauid inquit, iurauit Dominus & non pœnitebit eum, &c. Ideò sic faciet propter filium suum ex misericordia, tamen hæc fides non poterit esse sine pœnitentia in Dei misericordiam, vt aliquid accipiat promissum, inanis est. pœniteat ergo peccator Christianus, & firmiter credat se hæc consecuturum propter Christum.

Psal. 109.

## CAPVT XXII.

### ARGVMENTA.

1. *Quomodo totum Euangelium nos ad tria admonet, scilicet, ad fidem Christi.*
2. *Ad dilectionem DEI & proximi.*
3. *Ad crucem seu aduersitatem patienter tollerandam propter nomen Christi & veritatem.*

Scriptura